



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

3. Quo tempore obliget praeceptum dilectionis Dei? Ex part. 5. tr. 14. &
Misc. 2. res. 105.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

laum, 10. 1. r. 5. diſp. vnic. punct. 4. n. 4. docere regulariter huic præcepto poſituo omnes ſatisfacere. Primò, ſatisfaciunt cum de peccatis dolent, quia vix, aut nunquam omitunt actum formalem ſpei, que eriguntur, vt dixit Concilium ſeſſ. 6. c. 6. ad peccata deteſtanda, nouamque vitam inchoandam. Secundò, huic obligationi faciunt ſatis, cum propoſitum habent nunquam peccandi mortaliter, hoc enim propoſitum etſi aliquoties ex Deſamore perfecto procedat, ſæpè illum gignunt ex amore imperfecto. Conſiderant enim æternam retributionem, quam peccatis amittunt, & ex illius conſideratione in ſpem vitæ æternæ, vt ſibi conuenienter, eriguntur, & peccata deteſtantur.

6. Aduertit etiam Iacobus Granado in 2. 2. contr. 2. r. 4. diſp. 1. n. 3. duo. Vnum eſt, hoc præceptum, cum ſit ſupernaturale, debet impleri efficiendo actum ſpei ſupernaturalem; verum quoniam certò non conſtat homini, quando eliciat actum ſupernaturalem, excuſabitur ab obligatione huius præcepti, ſi ipſe ſibi proponat obiectum ſupernaturale ſpei, & conetur circa illud efficere actum; quamuis enim in re ipſa non euaderet talis actus ſupernaturalis, id non tribueretur ei vitio, ſed ignorantia inuincibili, qua neſcit certò quando actum ſupernaturalem eliciat. Alterum eſt, licet obligemur ſperare, ſufficienter tamen ſatisfieri præcepto, ſi quis ob motiuum charitatis ſperaret, quamuis nunquam eliceret actum ob proprium motiuum virtutis ſpei. Patet hoc, quia virtus charitatis ſperare poteſt quidquid ſperat virtus ſpei: ergo nobiliori modo erigit voluntatem ad beatitudinem, ac proinde excellentius præſtat id, ad quod neceſſarius eſt actus ſpei; qui verò charitatem non haberet, aut non ſe experiretur promptum ad ſperandum ex charitate, teneretur ſperare ob motiuum ſpei: ergo, &c.

RESOL. III.

Quo tempore obliget præceptum dilectionis Dei? Ex p. 5. traſt. 14. & Miſc. 2. Ref. 105.

§. 1. Dico primò, probabile eſt hoc præceptum obligare paulò poſt uſum rationis, quando quis iam aduertit, & ſecum reputat rationes, quas habet amandi Deum, & de ipſo cogitat, de eius bonitate, & excellentia, ac beneficiis, &c. Ita ex D. Thoma, Soto, Nauarro, Bannez, & Lorca docet Syluius in 2. 2. q. 44. a. 6. *quaritur tertio.*

2. Dico ſecundò, probabile etiam eſſe inſtante morte teneri Deum diligere. Ita ex Valentia, Nauarro, Suarez, Turriano docet Hurtadus de Mendoza in 2. 2. diſp. 74. ſeſſ. 6. §. 27. quia lege charitatis propoſitò tenemur ad ſecuritatem vitæ æternæ, vitandumque diſcrimen æternæ damnationis; ſed actu dilectionis Dei ſuper omnia vitantur omnia pericula æternæ dånationis, reddimurque ſecuri æternæ vitæ, cumque actum poſſumus exercere, quia præſtò eſt gratia Dei ſupernaturalis, & ex meritis Chriſti; ergo tenemur eum actum exercere. Finge te non eſſe ritè baptizatum, aut abſolutum, & te inſcium eorũ euentuum acceſſiſſe ad Sacramentum, ſine contritione perfecta, aut charitate, damnaberis profectò: ac licet nunquam fueris Baptizate ablutus, neque abſolutus à Sacerdote, ſi Deum diligas ſuper omnia charitate theologica, non dubiũ quin teneas viam ſalutis æternæ. Cur igitur experienda eſt alea contingentium euentuum, cum in tua poteſtate gratia Dei ſalutem tuam conſtituerit. Hæc obligatio partim eſt per ſe, quia hoc præceptum nobis imponitur intrantibus, & exiuntibus in vitam; partim eſt per accedens ratione periculi proprii. Ita Hurtadus, cui adde etiã Coninch diſp. 24. dub. 3. concl. 3. n. 51.

3. Dico tertio, hæc obligationem diligendi Deum ad eſſe etiam in vitæ decurſu, ſed difficultas eſt circa

tempus. Hurtadus *vbi ſuprà q. 26.* putat hanc obligationem currere per ſingulos annos, quidem ait, ſatis remiſſiue nobiſcum agitur anno dumtaxat amore nobis petito. Vnde Lorca in 2. 2. ſeſſ. 3. diſp. 58. n. 8. licet ait. Me iudice, ſi quis anno integro omiſſionem huius actus incurrat, certũque ſit Dei ſui immemorem tanto tempore ſe extiſſe, debet ſe iudicare tranſgreſſorem, quoniam Eccleſia ſimile arbitrium ſumpſit circa præceptum penitentia, quod eiudem rationis eſt. Ita Lorca, & ante omnes Ledelma in ſumm. 10. 2. r. 3. c. 5. poſt 6. concl. Sed ego puto hac obligatione non teneri adultum annis ſingulis, quia hoc eſt nimis durum, & nullo firmo fundamento nititur, vt docet Caſtrus Palaus tom. 1. r. 6. diſp. 1. punct. 4. n. 2. qui firmat hanc obligationem multo tempore non eſſe differendam, & dilationem trium annorum putat eſſe grauem; nam qui tanto tempore diuinam bonitatem non redamat, eam videtur contemneret; & hoc tempus etiam assignat Suarez de charitat. diſp. 5. ſeſſ. 3. nu. 4. & Coninch diſp. 24. dub. 3. n. 53. vbi ait. Videtur omninò mortaliter peccaturus, ſi hoc præceptum quis ad tres, vel quatuor annos ſpontè differat.

4. Notandum eſt tamen primam ſententiam non approbare, & quidem magis probabiliter Azorium, Suarez, Sanchez, & alios, quos citat, & ſequitur Caſtrus Palaus tom. 1. r. 6. diſp. 1. punct. 4. n. 2. Sed ſi in illa velis ſtare, non eſt intelligenda, quaſi peccemus ſtatim mortaliter habita ſufficienti Dei cognitione, ſi non eliciamus actum dilectionis; hoc enim ſatis graue eſſet, ſed quòd ſecluſa omni ignorantia, & inaduerſentia ſine graui peccato nequeamus eum valde diu differre. Et Coninch diſp. 24. dub. 3. n. 50. credit peccaturum, qui cum ad annos aliquot differret, aut forte etiam, qui vltra annum ſecluſa, vt dixi, inaduerſentia. Neque torquere ſe quis debet, vt obſeruat Hurtadus in 2. 2. diſp. 174. ſeſſ. 5. §. 24. vtrum huic præcepto ſatisfecerit, quia quamdiu poſituo, & probabili argumento non meminit, ſe hoc præceptum omiſſiſſe, culpate ſibi perſuadeat ſe contra illum non peccaſſe, vel quia Deum dilexit, vel quia illud inculpate prætermiſit. Adde, quòd ſi certò ſciat huic præcepto non ſatisfeciſſe, poteſt ſequi opinionem negatiuam, quam ego teneo, nempe non ad eſſe pro illo tempore tale præceptum: vt præter DD. citatos tenet etiam Vaſq. in 2. 2. diſp. 186. c. 2. & Turrianus in 2. 2. diſp. 97. dub. 2.

5. Non deſinam hic adnotare Ioannem Sancium in ſelectis diſp. 1. n. 21. docere, quòd qui ſemel in vita huic præcepto ſatisfecerit, non teneatur amplius illo. Pro qua ſententia facit Valquez in 2. part. tom. 4. q. 86. art. 2. dub. 6. n. 11. vbi tempus obligationis huius præcepti assignat ſolum pro fine vitæ. Sed hæc non approbat Caſtrus Palaus loco cit. n. 4. & 5.

6. Nota etiam quòd alij assignant alios caſus: quibusdam enim viſum eſt hoc præceptum eſſe implendum diebus feſtis. Item quando ſuſcipitur Baptiſmus, quando quis tenetur ad contritionem, quando inſigne beneficium à Deo accipit, vel eſt cauſa ſubeundi martyrij, quando blaſphemantibus, aut contemnentibus nomen, vel honorem Dei eſt reſiſtendum, & quando præceptum dilectionis proximi eſt implendum. Verum his caſibus, vel omninò non obliget, vel non obligat per ſe, ſed ratione alterius ac proinde eius omiſſio non eſt peccatum ſpeciale: feſta enim obſeruantur per ea, quæ in illis fieri iubentur, vt per vacationem ab operibus ſeruilibus, & auditionem Miſſæ, & Veſperarum. Hæc autem fieri poſſunt abſque ſpeciali, & expreſſa Dei dilectione. Ad Baptiſmum requiritur quidem ea dilectio Dei, de qua Concilium Tridentinum, ſeſſ. 6. cap. 6. dicit, quòd ſidentem Deum ſibi propter Chriſtam propoſitum fore, illum tanquam omnis iuſtitia fontem diligere incipiunt, ſed vt præuia diſpoſitio, non autem per ſe, & ex natura præcepti

Sup. hac inſtate morre in 10. 3. r. 1. Refol. 41. §. Sed adhuc & à lin. 3. & v quod quidè.

præcepti dilectionis. Tempore contritionis, & martyrii solum per accidens requiritur Dei dilectio, scilicet ratione iustificacionis, aut præparationis ad illam, aut ad ipsum martyrium. Pro beneficiis acceptis directe solum est obligatio gratitudinis, quæ sine actu amoris potest exhiberi. Quando contra blasphemantes defendere oportet Dei honorem (quoad confessionem fidei externam pertinet) non est sub periculo peccati necessarius actus charitatis Dei, ut nec quâdo proximus est diligendus, necesse est actu elicere Dei dilectionem. Hæc Syluius in 2. 2. q. 44. art. 6. queritur retrid.

7. Verum extra hos casus per accidens possumus obligari ad dilectionem Dei. Primò, quando grauem tentationem non possumus vitare, nisi diligendo Deum. In tentatione verò odij Dei obligamur per se lege charitatis illum diligere. Secundò, quando opus est administrare aliquod Sacramentum, nec possumus confiteri. Ita Coninch. disp. 2. 4. dub. 3. concl. 5. num. 5. 4. Hartaus ubi supra. & alij.

RESOL. IV.

An hodie explicita Fides Incarnationis Christi, & Sanctissime Trinitatis sit adultis necessarium medium ad salutem? Ex part. 3. tract. 5. Misc. 1. Resol. 46.

§. 1. Hic casus solet affligere Confessarios circa homines rudes. Affirmatiuam sententiam docet communiter, vt Lorca in 2. 2. q. 2. art. 8. disp. 2. 2. membr. 2. n. 4. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. c. 2. concl. 6. Valentia 10. 3. q. 2. punct. 4. & 5. Molina in 1. part. q. 1. art. 1. disp. 2. Malderus in 2. 2. D. Thome. q. 2. art. 8. Acolta de procur. Indor. sal. lib. 5. c. 3. & 4. Becanus in 2. 2. c. 12. q. 3. concl. 3. Tannerus & Layman ubi infra, & alij penes ipsos. Et ratio est, quia alioquin sequeretur, vt obseruat Syluius in 2. 2. D. Thome. q. 2. art. 7. concl. 6. posse nunc temporis aliquem saluari in lege Mosaiica, vt si Iudæus inuincibiliter ignoret fidem Euangelicam, & seruet legem Mosaiicam, quæ implicite continet fidem Christi.

2. Sed mihi contraria sententia probabilis etiam videtur cum Tannero in 2. 2. D. Thome. disp. 1. q. 7. dub. 2. n. 4. & Layman in Theol. mor. lib. 2. tract. 1. c. 8. n. 5. & absolute illam docent Sorus in 4. disp. 5. q. unica, tract. 2. Villalobos in summa. 10. 2. tract. 1. diff. 3. n. 6. & 7. Medina in instr. lib. 1. c. 14. §. 2. Sa. 2. verb. fides. n. 1. Turrianus in 2. 2. 10. 1. disp. 27. dub. 4. & 8. & alij penes ipsos. Et ratio est, quia inter Christianos inueniuntur homines aded rudes, vt mysteria Incarnationis, ac Sanctæ Trinitatis vero conceptu non apprehendant, & consequenter non credant explicitè. Idem solet euenire cum mutis & surdis à natiuitate. Ab iis verò myteria Trinitatis, & Incarnationis vero conceptu apprehendi, & credi, vix credibile est, nisi ad miracula confugiendum sit, vt de Azorius 10. 1. lib. 8. c. 6. q. 6. Si quis ob ingenij hebetudinem Trinitatis articulum nequeat percipere, satis esse si credat explicitè alios clariore, nimirum Christum Filium Dei natum ex Virgine, passum, cruci affixum, &c. Hofius in confess. fidei, c. 2. sic asserit, distinctionem personarum, & vnitatem substantiæ, si qui sunt radiotes, quamuis comprehendere possint, non est aded necessarium ad salutem omnibus explicitè credere, vt si quis minus hæc fuerit assequutus, de eius salute dubitandum sic. Ita ille.

3. Notandum est tamen cum Tannero ubi supra n. 49. stando etiam in prima opinione, & tenendo fidem explicitam nunc post promulgationem Euangelij esse necessarium necessitate medijs, quod si aliqui sūt aded radi intellectus, vt ea mysteria sub propria aliqua notatione concipere nullo modo possint, tunc supradicti rudes, quoad hanc rem cum infantibus, ac fatuis comparandi erunt. Neque enim credibile est, Deum à quo

Tom. VI.

quam exigere maiorem cognitionem, quam per vim intellectus ipse consequi possit. Ita ille, vnde apparet, quam bonus Deus iis qui recto sunt corde. Et ex his Confessarij à multis scrupulis immunes erunt, & multas conscientias afflictas sedabunt. Vide etiam Sanchez in summa. 10. 1. lib. 2. c. 3. n. 18. & 23. vbi docet, quomodo dicantur rudes explicitè credere, etiam si substantiam articulorum percipere nequeant, & pro consolatione studium Syluius in 2. 2. q. 2. art. 8. concl. 8. sic asserit. Si quis aded sit hebes, vt huiusmodi mysteria retinere non possit, excusabitur à præcepto, & si credat, quomodo potest ea, quæ diximus necessaria necessitate medijs, saluus esse poterit.

RESOL. V.

An fideles ordinarij teneantur explicitè scire & credere mysterium Circumcisionis Christi, aduentus Magorum, missionis Spiritus Sancti, communionis Sanctorum, & omnia Ecclesia Sacramenta?

Et an obligentur fideles explicitè scire, & credere Matrem Dei Virginem post partum, ac perpetuò mansisse, & creationem mundi esse in tempore, & non ab æterno?

Et an peccent mortaliter, vel tantum venialiter, adultè Symboli Apostolici formam, sub verbis præceptis memoria non tenentes?

Idem dicendum est de Decalogo, & Oratione Dominica, de Aue Maria, dummodo eorum substantiam sciant, & intelligant.

Et quid, si nesciant se signare signo Crucis? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. Ref. 48.

PER se loquendo mysteria Circumcisionis, aduentus Magorum, & missionis Spiritus sancti non esse explicitè credenda docent Tannerus in 2. 2. disp. 1. q. 7. dub. 3. n. 68. Suarez tract. de fide disp. 1. 3. sect. 4. n. 3. & alij, quidquid in contrarium asserant Lorca in 2. 2. q. 2. art. 8. disp. 3. membr. 1. n. 10. & Syluius in 2. 2. q. 2. art. 8. concl. 8. cum alijs. Et idem ignorantes supradicta mysteria non peccare mortaliter docet Coninch. in 2. 2. disp. 14. dub. 10. n. 190.

2. Quoad Sanctorum communionem, quia huius rei cognitio non videtur ita necessaria scitu, & videtur habere maiorem subtilitatem, cum etiam docti disputent in quibus rebus hæc Communio consistat, negatiuè responderit Villalobos in summa. 10. 2. tr. 1. diff. 4. n. 3. & Coninch. in 2. 2. disp. 14. dub. 10. n. 189. licet affirmatiuam sententiã doceat Turrian. in 2. 2. 10. 1. disp. 28. dub. 1. & Tannerus etiam in 2. 2. disp. 1. q. 7. dub. 3. n. 70.

3. Quoad Sacramenta respondeo, omnes explicitè scire debere substantiam, & rationem Sacramentorum non omnium, sed Baptismi, Eucharistiæ, & Penitentia; in cæteris verò idem opus erit, si quando ea suscipere quis voluerit. Ita Villalobos in 2. 2. tract. 1. diff. 4. n. 4. Tannerus in 2. 2. disp. 1. q. 7. dub. 3. n. 72. Suarez de fide disp. 1. 3. sect. 4. n. 12. Sanchez in summa. 10. 1. lib. 2. c. 3. n. 9. Malderus in 2. 2. q. 2. art. 7. dub. 2. n. 51. & alij contra Lorcam in 2. 2. q. 2. art. 8. disp. 2. 3. membr. 1. n. 19.

4. Notandum est etiam cum Suarez tract. de fide, disp. 1. 3. sect. 4. n. 9. esse probabilem opinionem multorum, asserentium non obligari fideles explicitè scire, & credere Matrem Dei Virginem post partum, ac perpetuò mansisse, licet contrarium probabilis sit; aduertit etiam Suarez n. 6. contra Banhez, quod non tenentur fideles explicitè credere creationem mundi fuisse in tempore, & non ab æterno.

5. Et tandem nota contra Syluium in 2. 2. q. 2. art. 8. concl. 8. 10. de la Cruz in direct. part. 1. art. 1. dub. 1. concl. 2. Palatium in 4. disp. 15. disp. 9. Nider in summa. præc. 1. c. 3. & alios, non peccare mortaliter, sed tantum venialiter, adultos Symboli Apostolici formam, sub verbis præceptis

Sup hoc lege duas Resol. sequentes.

A 2